DE FEBRIUM PATHOGENIA ANIMADVERSIONES QUAS AD MEDICINAE...

Giuseppe Ganz, Valentino Crescini



15


DE
FEBRIUM PATHOGENIA
ANIMADVERSIONES

QUAS
AD MEDICINAE LAUREAM ASSEQUENDAM
IN PERVETUSTO ARCHIGYMNASIO PATAVINO
PUBLICE DEFENDIT

JOSEPH GANZ
VERONENSIS



PATAVII
EX TYPIS VALENTINI CRESCINI
MDCCCXXX



ANIMADVERSIONES DE FEBRIUM PATHOGENIA

Certe febres, de quibus omnium temporum medici multa et inter se discrepantia scripserunt, familiam prope infinitam morborum apparentium constituunt: dixi *apparentium*, quoniam febres generatim et universe sumptae non sunt morbi, sed potius morborum effectus, ut ex nostrorum temporum medicis inconcussis demonstratum fuit argumentis: quamvis hisce etiam diebus aliquis inter medicae artis professores reperiatur, qui *essentiam febris* admittat. Hinc apud Hildebrand alia est *febris morbus*, et alia febris *symptoma*; quae distinctio huic respondet, per quam alia est febris *primaria* et *essentialis*, alia *secundaria*

Febris a *ferveo* quod *ardere* significat, derivatur. Apud Orientis populos vox febris non tam a caloris, quam ab ignis sensatione orta videtur. Hinc febris appellata fuit *pir*; ex quo *pirexia* febris, *apirexia* destitutio

4

febris, *piretologia* tractatus de febribus, venerunt.

" *Si definisce una cosa*, ait cel. Buffalini, „ *o dichiarando la sua essenza, o descrivendone tutte le proprietà, o solamente* „ *alcuna di queste, che sia origine alle altre, o di maggior momento* „.

Quemadmodum medici fere omnes essentialem febrium conditionem ignorabant, ita primam definitionem rejecerunt. Cum vero febris definitio quae deducitur ab omnibus ejusdem proprietatibus, paucis non comprehendat notis ideam objecti (et nostro in casu febris) quod definiri debet, ita tertium definitionis modum secuti sunt. Hinc inter innumerabilia febrium phaenomena, ea praetulerunt, quae prae caeteris frequentius et constantius offerebantur observationi, et ex his majori vel minori in numero simul sumptis, febris definitionem deduxerunt.

Haec sunt febrium symptomata: conturbatio animalis temperaturae, quae se se offert aut imminutam, et hinc horripilationes et frigus febrile; aut auctam, et hinc caloris augmentum: cordis et arteriarum celerior pulsatio: doloris et lassitudinis sensatio: debilitas spontanea: sitis, et oris ariditas: nonnullarum, vel omnium functionum laesio.

Febris tamen definitio ex hisce phaenomenis desumpta rei definitae haud aeque respondet. sunt enim quaedam phaenomena, quae nonnullis in febribus, et in quibusdam

definitis ipsarum stadiis omnino desunt; quaedam alia aliis morbis sunt communia, nec diversa in diverso organismi statu.

Et revera quoad conturbationem temperaturae animalis, nemo est qui ignoret, non omnibus in febribus adesse caloris augmentum, ut in febre intermittente algida *Torti*, in qua paroxismus omnis in frigore est positus. Praeterea non omnibus in stadiis febrium intermittentium caloris augmentum habetur; quin etiam in febribus continuis earum augmentum ab algidis horripilationibus indicatur. Hinc omnibus patet, non esse admittendam febris definitionem, quam nobis dedit Galenus, qui eam dixit *calorem praeternaturalem.* Neque frigus est constans febris symptoma: habentur enim febres, in quibus frigidum stadium desideratur, et a solo calore et sudore nomen accipiunt; praeterquamquod caloris et frigoris sensationes ad alias quoque morbosas affectiones pertinent.

Quoad vero celeriorem cordis et arteriarum pulsationem, non omnibus in febribus, neque in variis ipsarum stadiis majori vi et frequentia arteriae pulsant: praeterea nec caloris augmentum, nec pulsus celeritas febris praesentiam semper indicant. Et revera plurimae aliae causae, nempe nimium corporis exercitium, cursus, ira, venus, cibus nimis copiosus, vini generosi et spirituosorum liquorum potus celeriorem reddunt pulsum, atque calorem augent.

Etiam doloris et lassitudinis sensatio, spontanea debilitas, sitis, oris ariditas, nonnullarum, vel omnium functionum laesio sunt phaenomena non admodum essentialia, et plurimis aliis morbosis affectionibus communia. Hinc non est admittenda definitio, quam nobis dedit Sauvages, juxta quem febris est: *Syndroma frigoris successivique caloris, cum artuum debilitate, et pulsus vi adaucta, saepe quoad frequentiam.* Nec illa Vogel, qui definivit febrem, *ut sit augmentum praeternaturale innati caloris cum siccitate, et ariditate corporis.*

Ex his patet, quam sit difficile, ne dicam impossibile, admittere tertium definitionis modum, quamvis sit caeteris praeferendus: non est enim admittenda illa definitio, quae ab essentia deducitur. Brevem igitur, generalem et definitam febris descriptionem, quae loco definitionis haberi possit, adhuc desideramus, et fortasse diu desiderabimus.

Hinc celeb. Borsieri secundum definitionis modum amplecti videtur: *Itaque*, ait ille, *cum summam febres, sive in accessione, sive in augmento, aut inclinatione, decessioneque pro generis, causarum, symptomatum, et subjectorum ratione varietatem praeseferant, quae paucis verbis apte nequit comprehendi, magni interest, ampliorem diligentioremque febris tradere descriptionem, ut a symptomatibus propriisque affectionibus, quae tamen sensibus et obviae sint,*

atque a medicis attendi queant, aliqua absolutior certiorque ejus notitia habeatur, quo facilius de ea praesente judicium ferri possit. Hinc ille vellet hanc deducere descriptionem et a statu pulsus, caloris, cutis, et a statu urinae, et a colore et habitu faciei, oculorum et linguae: denique observandum erit, si una vel plures functiones a statu naturali aberrent. Concedit tamen, morbosa esse ea phaenomena a quibus qui febricitat, constantius afficitur. " *Initio*, ille, ait, *ut plurimum vel cohorrescit, vel riget, vel friget, rarius animi deliquio corripitur, aut in somnum propendet; paullo post calore ingenti et diutius protracto cum anxietate quadam atque in primis virium languore, siti orisque siccitate, capitis dolore, aut gravitate, aut aestu, aliisque afficitur molestus* ,,.

Haec retuli ex celeb. Borsieri deprompta, ut omnibus innotescat, prima et constantiora febris phaenomena ea esse, quae morbosum statum indicant in organis, quae circulationem, respirationem, calorificationemque promovent atque servant, et ad organicam vitam spectant: quae omnia, ut spero, multum inservient, non dicam, ad declarandam veram morbi ita proteiformis nosogenesim, sed saltem ad indicandam veram ejusdem sedem. Et hoc verum esse, deducitur ex majori scriptorum numero, qui in febre definienda ea caeteris praetulerunt phaenomena, quae laesionem aliquam indicant iis in orga-

nis, a quibus sanguinis calor pendet atque circulatio.

Hinc medicinae pater Hippocrates, cum quemdam febre correptum indicare volebat, hunc calore magno et urente correptum dicebat. Hinc Galenus docebat, febrem esse calorem praeternaturalem, quem pulsus pleni, vehementes, atque frequentes comitantur. Hinc et alii statuerunt, febrem esse praeternaturalem sanguinis fervorem; alii inter quos primum tenet locum Willis, esse fermentum sanguinis; alii ut Bellini, vitium sanguinis, aut in motu, aut in quantitate, aut in qualitate, aut in uno tantum ex hisce vitiis, aut in omnibus simul sumptis. Boerahave posuit febrem in aucta pulsus velocitate cum obstructione vasorum capillarium propter tardam in ipsis circulationem: et Cullen, in quadam minimorum vasorum atonia, quam spasmus sequitur, per quem cordis et majorum arteriarum actio augetur. Tandem Borsieri putat, febrem consistere in perturbata quadam sensibilitate et irritabilitate cordis et arteriarum, hoc est totius oeconomiae circulationis, caeterarumque functionum propter sanguinis caeterorumque fluidorum vitium, aut in quantitate, ut ille scribit, aut in cohaerentia, aut in qualitate.

Antequam ex iis quae adhuc diximus, ea deducantur, quae brevius ad veram proximamque febris sedem nos perducant, et hoc pacto facilior et brevior reddatur via, per

quam veram ejusdem nosogenesim attingere possimus, breviter quae nostrorum temporum medici, et Itali et Galli, hac de re scripserunt, percurramus.

Quo tempore Galenus discipulique ejus florebant, febres dividebantur in *essentiales* et *symptomaticas*; illae in generali totius organismi vitio positae erant; hae tantum in affectione quadam peculiari alicujus partis organismi ejusdem. Juxta Brown febres omnes *essentiales* erant; omnes praeter synochas, ab universali asthenia pendebant: et juxta eumdem auctorem varii debilitatis gradus sunt febrium intermittentium stadia, *frigoris* ajebat ille, *maxima debilitas, caloris minor, sudoris minima est*. Pinel quoque medicus Gallus dividebat febres in *primitivas* seu *essentiales* et in *symptomaticas*: illae sex ordines comprehendebant, nempe: 1.° febres angio-athenicas, seu inflammatorias; 2.° meningo-gastricas, seu gastricas; 3.° adeno-meningaeas, seu mucosas; 4.° adinamicas; 5.° ataxicas; 6.° adeno-nervosas; hac pestem constituunt.

Cel. Rasori theoriam Brown modificatus est, et ostendit non omnes febres esse *asthenicas*; quin etiam probavit, majorem febrium numerum *sthenicas* comprehendere, quamvis nonnullae sint, ut ipse opinatus est, contrariae conditionis: uno verbo, juxta hujusce cel. viri sententiam, omnes febres sunt *essentiales*, quae aut a stimuli, aut a controstimuli diathesi pendent; quamvis illae has numero

longe superent. Giannini cum Brown retinuit, omnes fere febres, si veras inflammatorias excipias, in statu quodam debilitatis essentialiter esse positas, quam subsequeretur quaedam vitalium virium exaltatio, a praeexistente orta debilitate, quae *nevrosthenia* improprie appellatur.

Jam Sauvages in Nosologia ostenderat, nullius esse momenti divisionem illam febrium, per quam aliae sunt *essentiales*, *symptomaticae* aliae, cum nulla sit febris essentia: nullo enim pacto concipi potest febris, quam non producat, non praecedat, non alat, aliqua morbosa affectio. Reil putabat, febres omnes esse exaltationem quamdam localem, aut generalem excitabilitatis, et organon qualecumque febris sedem esse posse. Et jam nonnulli ex recentioribus Italis medicis, qui irritationis theoriam sunt secuti, ut Bondioli, Rubini, Fanzago, praeter febres *essentiales* quae vel a stimuli, vel a controstimuli diathesi pendent, admittunt etiam illas, quas partialis organorum morbus ab irritantis potentiae actione productus gignit; hinc etiam *irritativas* admittunt.

Cel. Professor Tommasini maximum attulit arti medicae incrementum. Argumentis quae infringi nequeunt, ostendit, febres fere omnes esse indolis ipersthenicae, seu inflammatoriae, et hoc in casu a phlogistico processu originem ducere, qui aliquo ab organo ad universale systema diffunditur. Nonnullas tamen

admittit febres, quae a diathesi ipsthenica, et alias quae a simplici actione irritativa pendent, quae causa irritante sublata, et ipsae tolluntur; et si aliquando perdurant, id ex eo evenit, quod in irritata parte phlogisticus processus excitatus fuit. Febres hae et illae quae ab excedentium stimulorum actione oriuntur, quaeque evanescunt stimulis iisdem evanescentibus, dummodo non existat phlogosis, adiathesicos tantum processus constituunt. Denique medici Galli, quorum princeps est Broussais, febribus essentialibus omnino postbabitis, volunt febres omnes esse *symptomaticas* et *secundarias*, et originem ducere ab irritatione caeterorum textuum et inflammatione, quae ad cor per sympathiam propagatur, sed eodem in corde residet. Broussais autem nimis inconsiderate, si verum est fatendum, febres omnes ad gastro-enteritidem, aut acutam, aut chronicam, refert.

Ex hisce recentiorum medicorum inquisitionibus medicinam maxime profecisse, nemo est qui neget: patet enim, febrem non esse morbum, sed alicujus morbi symptoma; et hinc studium omne atque curam esse vertendam non ad symptoma, sed ad morbosam affectionem, ex qua idem symptoma oritur. Et revera febres omnes pendent aut ab irritatione, aut ab inflammatione, et hujus ab exitu, quae habetur aut in organis ad systema circulare spectantibus, aut in organis remotioribus, sed tamen ita, ut hujusmodi affectiones in illud

sympatice agant: quae idem sonant, ac si diceremus, quacumque in febri idem systema circulare aut idiopatice aut sympatice morbo affici suis in vitalibus conditionibus, et febrem nihil aliud esse nisi manifestationem, seu symptoma hujusce perturbationis.

Si sermo sit de febribus quae a perturbatione sympatica in vitalibus systematis circularis conditionibus originem ducunt, hujusmodi febres, ut dixi superius, oriri possunt et a simplici irritatione, et ab inflammatione certa, aut ab hujus exitu, in aliquo remoto organo. Et quamvis medici Galli duabus hisce vocibus *irration, inflammation,* promiscue utantur, nos tamen eam significationem quam iisdem superius tribuimus, non relinquemus. Hinc alia est febris, quam producit vermium praesentia in tubo gastro-enterico priusquam vermes iidem phlogisticam affectionem in ejusdem tubi parietibus pariant: alia quae a contagioso principio quod in machina habetur, oritur, antequam principium hoc ita in organismum effundatur, ut aliquo in viscere nobiliori inflammationem excitet: alia est febris ephimera, quae a substantiarum stimulantium (quae deinde potentiae irritativae fiunt) nimietate pendet, et ita gravis evadit, ut encephalitidem minetur, et alia est febris quae a processu phlogistico jam praeexistente oritur. Nam febrim verminosam vermium, contagiosam contagiosorum principiorum expulsio vincet: immoderatorum stimulantium elimi-

natio fugabit febrem ephimeram, quae encephalitidem minatur; in qua etiamsi fluxus sanguinis ad cerebrum sit admittendus, nondum tamen phlogisticus processus excitatus fuit: dum febris quae a phlogosi pendet, non vincitur, nisi prius phlogosis ipsa vincatur.

Medici quoque Galli statum morbosum inter potentiarum morbosarum actionem, et earumdem irritationis extricationem in febribus admiserunt, subinflammationem scilicet et inflammationem: qui status morbosus ab Italis irritativus appellatur; quem etiam *sedation* appellare vellent, in quo locum potest habere coma, asphixia, virium defectio, abolitio sensus et motus, mors denique ipsa, si hujusmodi status nimis diu protrahatur. Hujusmodi statum admittere debuerunt ex eo, quod in cadaverum incisione sensibilis perturbationis indicia minime invenerunt. Sed ita opinantes nihil aliud, nisi verba verbis, ideas ideis, et quod in pejus cedit, nomen improprium nomini ad eamdem ideam exprimendam aptissimo substituerunt. Et revera in statu de quo loquimur, non semper debilitatae functionis phaenomena habentur, sed interdum etiam auctae actionis symptomata haberi possunt, ut vomitus, convulsiones, vigiliae, subdelirium, febris etc., quo in casu vox *sedation*, quam improprie admitteretur! Cur igitur omittemus verbum *irritation*, quod utrosque hosce casus emplectitur?

Sed veniamus ad febres inflammatorias,

nempe ad eas quae originem ducunt a phlogosis processu plusve minusve acuto in aliqua machinae parte praeexistente. Hujusmodi febres praeexistenti phlogosis processui solent esse secundariae. Quod si aliquando videmus, febrem inflammatorio processui praeire, id ex eo pendet, quod febris haec potest esse secundaria irritationi simplici idiopaticae vel sympaticae partis illius, cui phlogisticus processus est subeundus; aut pendere potest ab aliquo alio inflammatorio processu, per quem novus processus secundarie excitetur alia in parte, quae cum illa per sympathiam communicet eo consensionis modo, quem Broussais *sinergiam* appellat. Ut aliqua in parte phlogosis processus existit, et febris statim habetur, si prius non aderat; et si aderat, augetur: et hoc actionis augmentum in systemate circulari in causa est, cur sanguis conditionem illam acquirat, per quam a vasis extractus crustam phlogisticam efformat.

Febres quae ab idiopatica circularis systematis perturbatione proveniunt, sunt illae, quae ab angioitide pendent. Hinc febris ipsa synocha, quae quondam essentialis putabatur, nunc habetur ut processus angioiticus, qui juxta Sasse, et Pet. Frank observationes, a carditide, pericarditide, etc. derivatur.

Quae omnia facile nobis persuadent, febrem non esse nisi effectum perturbationis dinamico-organicae primitivae, aut sympaticae cordis, et circularis systematis. Juxta Brous-

satis quoque, ut vidimus, *febris effectus est irritationis primitivae et sympaticae cordis, per quam viscus hoc suas contractiones accelerat, augetur circulatio, et tanta fit cutis ariditas, ut inde molesta sensatio habeatur.*

Sed definitio haec potestne etiam febribus intermittentibus applicari? Nemini dubium esse potest. Posthabita enim febrium distinctione ab earumdem typo desumpta, qui typus accidentalem tantum differentiam inter febres statuit; et ab omnibus medicis, ad exemplum Pinel, classificatione admissa, quae suum habet fundamentum in symptomatum, aut ut rectius dicam, in morbosae conditionis, quae illas parit, analogia, admisso ad subdivisionem secondariam tantum instituendam typo, febres omnes distributae fuerunt in *legitimas* aut *iposthenicas*, in *ipersthenicas*, aut *inflammatorias*, et in *irritativas*, prout originem trahebant aut a statu quodam generalis astheniae, aut ab opposita excitabilitatis conditione, aut ab aliqua irritatione.

Sed omnibus patet, divisionem hanc esse falsam, neque ideo admittendam, quippe quae innititur diathesibus, ex quibus essentiales morborum differentias descendere volunt. Cel. Prof. Brera, hanc eamdem divisionem retinet, sub adspectu tamen valde diverso, et certioribus innixus argumentis contendit, conditiones diathesicas, ipersthenicam et iposthenicam, esse tantummodo accidentales febrium

complicationes, non ipsarum causam atque fundamentum. *Febres*, ait ille, *sunt semper affectiones locales: in ipsis primum tenet locum conditio irritativa: status iperstheni-cus, sive iposthenia, non est nisi accidentalis in febribus.* Quaenam vero est sedes illius pathologicae conditionis, ex qua febris oritur? Systema trisplanicum aut gangliare. Ego quoque has de febribus doctrinas, quas illustris Clinicus, quondam hujusce Archigymnasii lumen, edidit, libenter amplector cum de febrium, et praecipue intermittentium, pathogenia agitur, bis innixus argumentis.

Medici omnes antiqui aeque ac recentes, quoad febrem, in hoc consentiunt, ut veluti certa atque constantia ejusdem phaenomena ea considerent, ex quibus in actione et motu cordis et systematis circularis maxima laesio deducitur. Physiologia nos docet, motus hos tum cum salus viget, ab iis nervosis centris, seu gangliis ex quibus simul sumptis trisplanicum systema habetur, moderari. Anathomia quoque nos docet, nervos cardiacos superficiales et profundos a primis hujusce nervosae partis gangliis oriri. Hinc necessario sequitur, hujusmodi motus si morbosi sint, tales esse propter praeternaturalem horum nervorum conditionem aut primitivam, aut secundariam, aut idiopaticam, aut sympaticam, aut consensualem. Et si hujusmodi in motibus perturbatis circularis systematis febris praecipue consistit, sequitur etiam hanc pen-

dere ab irritatione, a phlogosi aut idiopatica aut sympatica systematis gangliaris, et praecipue illorum gangliorum, et nervorum, qui cordis majorumque vasorum motibus imperant, et a quibus irritatio, aut phlogosis majori aut minori vi et spatio, in alias systematis partes se se effundere potest. Hinc alia quoque organa ejusdem ditioni, aut aliis systematibus cum ipso per sympathiam communicantibus subjecta, perturbari possunt.

Ex his quae hactenus diximus, haec sequuntur corollaria:

I. Perturbationes irritativae et inflammatoriae variorum nostri corporis textuum, cum ad systema gangliare per irradiationem se se effundant, febrem secundarie excitant. Hinc haec eadem per processus inflammatorio, aut per simplices irritationes alia quoque organa plusve minusve ab hoc systemate remota, invadit.

II. Cum actio dinamica parietum vasorum quae circularem apparatum componunt, propter statum pathologicum trisplanici systematis perturbationem subeat, fluida quoque quorum motus ab apparatu circulari moderatur, et praecipue sanguis sua in mixtione, perturbationem aliquam subibunt. Ita cum moleculae quaedam vitiatae atque morbosae intimas diversorum textuum partes invadant, solida quoque in sua assimilari proportione erunt perturbata: et hinc innormaliter respondebunt externarum potentiarum, quamvis non novae

sint, impressionibus, et ita secundarie quidem, insurgent variae turbae remotioribus etiam in partibus: quae turbae alia quoque ex causa insurgunt, nempe propter consensum, quem systema gangliare suis multiplicibus filamentis cunctis cum humani corporis partibus et praecipue cum nervoso vitae animalis systemate servat. Et hae duae sunt causae, per quas febris quae sua in origine erat morbus localis, affectionem universalem simulare potest; quibus addenda est tertia, nempe organi, quod primitus febris invaserat, cum caeteris organis consensus plusve minusve extensus.

III. Quamvis generatim febres inflammatoriae, ut superius diximus, phlogosis partialis aliquo in organo processui sint secundariae; interdum tamen et inflammationes possunt esse febribus secundariae: et id ex eo est repetendum, quod organon aliquod potest irritari, aut inflammari sympatice propter statum morbosum gangliaris systematis aut idiopatici, aut sympatici alicui diversi generis affectioni. Hinc erisipelam, eruptiones cutaneas, impetiginosas, aut exanthematicas febris solet praecedere; hinc lentae phlogoses ad sthomacum, ad splenem, ad haepar, quae post longum intermittentium febrium cursum habentur: hinc rejicienda ut falsa, quae Broussais in medium affert, nempe febres omnes, quae ut essentiales habentur, a gastritide, aut gastro-enteritide pendere; quamvis hujusmodi

morbosae affectiones una cum febribus intermittentibus praecipue et frequentius societur; concedendum tamen est interdum febres ipsas intermittentes a gastritide, aut gastroenteritide pendere posse. Frequenter tamen hujusmodi gastricorum viscerum perturbationes nunc irritativae, nunc inflammatoriae, febribus sunt secundariae; et id ex eo deducendum, quod haec quoque organa gangliari systemati, quod est et habetur velut sedes febrium, sunt subjecta.

IV. Quoad febres intermittentes legitimas, quae ab ipostbenia putantur oriri, ex eo quod cortice peruviano vincuntur, ut probabilior ea mihi videtur admittenda opinio, per quam hujusmodi febres originem trahunt a speciali quadam systematis gangliaris irritatione, quam palustria miasmata producunt. Quamvis et animi pathemata, et hujusmodi alia has easdem febres gignunt, quas cortex tantum peruvianus, aut sua praeparata debellant. Hinc maximo in errore versatur Bronssais, qui cum corticis peruviani et suorum praeparatorum vim contradictoriam inveniret in febribus intermittentibus, quas juxta suam theoriam a gastritide derivat, hujusce pharmaci actionem se se explicare putat, cum ait, hoc pharmacum in apyrexia exhibitum agere, si excitet irritationem fixam atque continuam in stomacho, antequam irritatio febrilis intermittens superveniat; aut si hoc in viscere excitet irritationem, quae alterius organi febrilem

irritationem praecedat; aut si agat ut collíria irritantia, quae ophtalmiam, dummodo ipsa sit intensa, debellant.

V. Viscerum et organicorum contextuum dolores, qui in febribus comitatis observantur, quamvis periodici sint, possunt tamen esse verae morbosae affectiones inflammatoriae. Jam vidimus, typum et febrium et caeterorum morborum esse omnino incertum, et qualecumque sit elementum pathologicum, sive irritatio, sive fluxus et congestio, sive phlogosis, sive vitia organica, a quo pendent; omnes tamen peculiaribus et incertis de causis typum aut continuum, aut remittentem, aut intermittentem, possunt offerre. Et quamvis cel. Tommasini sit dubius in admittendis periodicis inflammationibus, et velit has organorum affectiones, quae in hujusmodi febribus observantur, in turgore quodam seu incitamento vasorum, potiusquam in processu phlogistico consistere; tamen sectiones cadaverum illorum hominum, qui hisce febribus correpti perierunt, hisce in organis veros exitus inflammationis, et profundas perturbationes, quae in vero phlogistico processu observantur, ostenderunt.

VI. Status hic morbosus aut idiopaticus, aut sympaticus gangliaris systematis, a quo febris procedit, cordis actionem et systema circulare perturbat, nunc accelerando, nunc retardando motu, nunc spasmodice constringendo, nunc relaxando tunicas; ita eo, quo

se se offerunt, modo explicantur febrilia symptomata, nempe frigus, calor, sudor, pulsuum status in diversis febrium intermittentium stadiis. Si febris incipit a spasmo in cordis et arteriarum fibris muscularibus tunc habetur frigus, cui calor succedit, et inde sudor, cum hoc eodem spasmo sublato, vis circularis augetur. Frigus non habetur, si febris una cum motus circularis augmento incipiat; perdurat frigus perdurante spasmo, de quo supra diximus; hinc febris algida Torti, et nonnullae aliae huic simillimae habentur.

VII. Quoad febres intermittentes larvatas, quae a comitatis ex eo differunt, quod in illis dolentes sensationes periodicae caeteris in organis atque systematibus observantur, quin minimum habeatur inditium perturbationis circularis systematis; hae cum theoria quam nos statuimus, minime repugnant. Hujusmodi enim in febribus potest existere eadem specifica morbosa conditio systematis gangliaris, quam cum cortice peruviano et suis praeparatis debellamus, quin ulla observentur inditia in organis quae illi proxime sunt subjecta; et id ex eo repetendum, quod nimis frequenter observamus, in aliqua humani corporis parte valde remota ab illa, quae est proxima morbosi processus sedes, dolores et morbosa phaenomena existere, quin phaenomena his respondentia banc perturbationem manifestent. *Potest igitur*, ut verbis utar cel. Geromini, *conditionem materialem doloris qua-*

dam in parte existere, et dolorem ipsum, aut sensationes huic dolori respondentes alia in parte patefieri.

VIII. Cum perdurante febris processu, iis de causis quas supra exposuimus, et fluidarum et solidarum partium assimilatio perturbetur, et hinc moleculae quaedam morbosae morbosaeque elementa generentur, haec veluti vitae principio inimica sunt expellenda: et tunc tantummodo hujusmodi expulsionem habemus, cum victa febrium causa, vitale principium eo in statu sit positum, in quo contra moleculas hasce morbosas morbosaque elementa, quae eorum decursu perdurante apparuerunt, reagi valeat. Ut hoc obtinuimus, statim emunctoria communia aperiuntur, et hujusmodi moleculae, sive elementa expelluntur aut per sudorem, aut per urinam, aut per secessum, etc., vel si in partem aliquam externam transferuntur, tumores inflammatorios, suppurationes, abscessus, etc. efformant; et ita, ut uno verbo utar, crisim habemus. Hujusmodi tamen crises non sunt causa, sed potius victi morbi effectus, utpote quae in ordinem redactionem assimilationis dinamicae organismi, quem processus febrilis causae perturbaverant, ostendunt.

THESES

I.

Non textus cellularis, sed lamellarum textura est primum solidorum organicorum elementum.

II.

In Embrione nervosum systema vasculari praecedit: Illud functionum omnium tam organicarum, quam animalium est principium.

III.

Inter varios emittendi sanguinis modos arteriothomia est, quae directius in cerebri morbis agit.

IV.

Methodus quae per cutem, aut integram, aut epidermide destitutam, vesicante medicamina introducit, illis aegrotantibus, qui propter nimiam stomachi excitabilitatem, aut propter phlogosim mucosae tunicae stomachi ejusdem, medicamina hac introducta via ferre non possunt, est valde utilis.

V.

In febribus intermittentibus cortex peruvianus ut anti periodicus mere agit.